

tur per dilectionem sicut per instrumentum; ut Dominus per servum, sed sicut per formam propriam. 2. Multi volunt, quod operatur hic sumi passivè, & eo significari, quod fides in actu constituitur & excitetur ad agendum per dilectionem. Neque hæc interpretatio contraria est priori; quia fides sic excitata agit verè, & operatur per charitatem veluti per formam. Ad 2. Justificatio tribuitur fidei, non quod sine charitate justificet; sed quia est initium salutis, & radix justificationis, secundum Trid. sess. 6. cap. 7.

Dices contra 2. partem. Genus intellectivum est nobilius genere appetitivo, juxta D. Thomam & Thomistas: ergo habitus, pertinens ad genus intellectivum, qualis est fides, est nobilior habitu pertinente ad genus appetitivum, ut est charitas. R. D. Ant. Genus intellectivum est nobilior appetitivo absolute, C. Ant. Omnibus modis, N. Ant. & cons. Sunt ergo quedam genera omnibus modis perfectiora, ita ut ab imperfectionibus nunquam superari possint, ut substantia spiritualis, v. gr. respectu substantiæ corporeæ. Sunt autem & alia genera absolute quidem perfectiora, sed non omnibus modis, ita ut quandoque contingat, quod ratione differentie nobilioris contrahentis genus imperfectius compensatur ejus imperfectio, & illius species superet speciem generis perfectioris: sic qualitas activa, v. gr. calor, est genus perfectius, quam passiva. Atamen datur qualitas pas-

siva, v. gr. potentia cognoscitiva, quatenus recipit species, quæ ratione differentie superat genus activum. Item corpus incorruptibile, ut cælum, est genericè, seu ratione corporeitatis perfectius corruptibile; & tamen corruptibile animatum ratione differentie præstantius est incorruptibili. Sic ergo quamvis genus intellectivum sit absolute perfectius volitivo, non tamen omnibus modis, sed potest volitivum ratione differentie, seu tendentis perfectioris ad obiectum contrahi ad speciem nobiliorum.

Dico 2. *(Ibid. a. 7. o.)* Sine charitate potest esse vera virtus, sed imperfecta: quia sine charitate potest esse bona qualitas, quæ sit constantè principium boni actus, consequenter vera virtus. Sed quia sine charitate non ordinat ad ultimum finem, neque facit operari meritorie ad vitam æternam, non est perfecta virtus. Vide Tract. de Virtutibus Dissert. 2. art. 4. §. 3. ubi hanc materiam ex professo tractavimus.

Dico 3. *(Ibid. art. 8. o.)* Charitas est forma aliarum virtutum, non intrinseca & essentialis, alias omnes virtutes essent ejusdem speciei; sed extrinseca & accidentalis, quatenus per eam referuntur ad finem ultimum supernaturalem, quo veluti ornamento formantur in ordine supernaturali. Charitatem distingui a gratia, multis probavimus in Tract. de Gratia Diss. 4. a. 4. adeat Lector.

## DISSERTATIO II.

### DE AUGMENTO, DIMINUTIONE, ET AMISSIONE CHARITATIS.

#### Div. Thom. Quæst. 24.

**H**UIC Q. 24. Auctor præfixit titulum de subjecto charitatis, ratione cujus agit de causa efficiente, augmento, diminutione, & amissione charitatis. Suppono 1. *(Hic q. 24. a. 1. o.)* Voluntatem esse subjectum charitatis, tum quia idem est obiectum voluntatis & charitatis, scilicet bonum per intellectum apprehensum; tum quia actus charitatis, qui est amor, elicitur a voluntate: virtus autem est in ea potentia, in qua est ejus actus. Suppono 2. *(Ibid. a. 2. o.)* Habitum charitatis non acquiri nostris actibus, sed a Deo infundi, juxta illud Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Sp. S. qui datus est nobis.* Ratio est; quia charitas est quedam amicitia hominis cum Deo, quæ fundatur in communicatione beatitudinis; hæc autem communicatio non est secundum bona naturalia, sed secundum dona gratuita: ergo charitas naturæ facultatem excedit. Adde, quod ejus obiectum sit bonum supernaturale, & quod sit proprietas consequens ad gratiæ infusionem.

Si dicas: Ex actibus charitatis infuse generari aliquem habitum dilectionis, ut docet Auctor q. 17. de verit. a. 1. ad 4. R. Hunc habitum non esse charitatem, quia sumus Dei amici & filii adoptivi, sed habitum diversæ speciei ex actibus hujus charitatis infuse ortum, ideoque acquisitum, neque tamen naturalem absolute, hoc sensu scilicet quod per naturam causetur, sed aliquo modo supernaturalem, nempe ex actibus supernaturalibus ortum. Unde, cum S. Th. 1. 2. q. 51. a. 4. ad 3. dicit, ex actibus habitus infusus non produci aliquem habitum, intelligit de habitu ejusdem speciei, prout argumentum requirebat. Itã interpretatur Sylvius. His prælibatis de subjecto & causa efficiente charitatis, quærimus in primis & specialius de ejus augmento. Unde sit

#### ARTICULUS I.

##### Utrum Charitas possit augeri, & quomodo?

**D**ico 1. Charitas via potest augeri sine termino. *(Ibid. a. 4. o. & 7. o.)* Est definita in Concilio Vienne Clementina: *Ad nostram de hæreticis contra Begardos & Beguinas: qui dicebant, hominem in vita posse quandam charitatis terminum attingere, ultra quem progressum non posset. Et in Conc. Trident. sess. 6. c. 10. Hoc, inquit, fidei incrementum petit Ecclesia, cum orat: da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.* Prob. ulterius 1. ex Scriptura Eph. 4. *In charitate crescemus.* Philipp. 1. *Oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet.* Apocal. ultimo, *Qui justus est, justificetur adhuc.* Prov. 4. *Justorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad per-*

fectum diem, scilicet diem beatitudinis. Suffragantur SS. Patres. Aug. Tract. 5. in Epist. Joann. *Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Hieron. 1. 2. contra Jovin. c. 18. Athanasius in vita S. Antonii, S. Leo serm. 2. de Quadrag. S. Gregorius Hom. 15. in Ezech. &c.

Prob. 2. Rat. *(Ib. a. 4. o.)* Ex hoc dicitur Viatores, quod in terminum destinatum, qui est Deus, tendimus; atque de ratione Viatorum est, quod ita tendere possint ad terminum, ut magis ac magis ad illum appropinquent, alioquin cessaret viæ processus: ergo ita possunt tendere in Deum, ut magis ad illum appropinquemus. Subsumo; atque istam appropinquationem facit charitas: non enim appropinquamus Deo passibus corporis, sed affectibus mentis, quibus illi unimur: ergo charitas in hac vita potest semper augeri. Confirm. *(Ib. a. 7. o.)* Ex nulla parte præfigitur terminus augmento charitatis. Non ex parte ipsius charitatis, quia est secundum rationem suæ speciei participatio quædam infinite charitatis, quæ est Sp. S. Non ex parte causæ efficientis, quæ est Deus infinite virtutis. Non ex parte subjecti; quia crescente charitate subjectum fit magis habile ad illam perfectionem recipiendam; cum enim ista habilitas sit obedientialis; crescente charitate crescit: ergo. Si dicas, indè sequi, hominem Viatorem tantam charitatis perfectionem posse acquirere, ut æquet, aut superet charitatem Christi & Beatæ Virginis. Resp. Neg. Sequelam; quia, licet charitas secundum se possit semper augeri, non augetur tamen, nisi secundum gradum a Deo prædestinatum. Nemo autem est prædestinatus ad eum charitatis gradum, qui Christo & B. Virgini fuit collatus.

Dico 2. *(Ibid. a. 5. o.)* Charitas non augetur extensive, sed intensive tantum: quia etiam minima charitas se extendit ad omnia illa, quæ sunt ex charitate diligenda. Cum enim sit amor efficacis ultimi finis, scilicet Dei, habet secundum se sufficientem virtutem ad amandum cætera propèter Deum. Quod si actu non extendatur ad consilia & ad bona supererogationis, non est ex defectu ipsius charitatis habitualis, sed voluntatis; quia habitibus unimur, cum volumus.

Dico 3. *(Ibid.)* Charitas non augetur intensive per additionem charitatis ad charitatem; hoc enim esset charitatem multiplicari, non augeri; sed per majorem radicaliorem in subjecto, sive per majorem actionem subjecti, sive per majorem inhesionem subjecto; accidentis enim esse est inherere. Hæc omnia sunt unum & idem, & modo unum, modo alterum usurpat S. Thomas, dum agit de intensione qualitatium. Item, sive istud Majus dicas novum gradum, sive novum modum, est perinde ad propositum, est enim ista quæstio de intensione qualita-

tum Philosophica; & idè eam ad Physicos remittimus.

Petes 1. Utrum charitas vie sic possit augeri, ut adæquet, aut etiam superet charitatem Patris? Suppono antè responsum, charitatem vie & Patris esse, ut supra diximus, ejusdem speciei essentialis; quia habent idem obiectum formale, differre autem accidentaliter secundum statum & modum operandi. R. 1. Charitas vie in eodem homine non potest æquare, aut superare ejus charitatem in Patria; quia Deus præmiat ultra condignum, & cum dilectio Dei pertineat ad obiectum saltè secundarium præmi, seu beatitudinis; homo, dum fit beatus, accipit aliquid charitatis incrementum. R. 2. Videtur, quod charitas habitualis alicujus Viatoris possit esse perfectior & intensior charitate alicujus beati; verisimile enim est, quod charitas B. Virginis, aut eximii alicujus Sancti, dum esset in via, fuerit major, quam charitas habitualis in Patria unius infantis, statim post Baptismum defuncti. R. 3. Attamen quoad statum & modum operandi charitas Patris est perfectior qualibet charitate vie: tum quia charitas Patris est in termino & in statu suo naturali; charitas autem vie est adhuc in motu & extrita statum: tum quia beatus in Deum clarè visum semper amore fertur secundum totum conatum voluntatis, & totam intensionem habitus charitatis, non sic in via; atque hoc sensu Christus Math. 11. de Joanne Baptista dixit: *Qui minor est in Regno Cælorum, major est illo.* Quamvis tamen intelligant hanc sententiam de ipso Christo & Ecclesia, ita ut sensus sit: quod Christus, qui secundum ætatem & multorum opinionem erat in Ecclesia minor Joanne Baptista, esset tamen major divinitate, majestate, & potestate: Itã interpretatur SS. Hilarius & Chrysost. in hunc locum, S. August. Tract. 13. in Joann. &c.

Petes 2. Utrum charitas in hac via possit esse perfecta? R. *(Ibid. art. 8. o.)* Perfectio charitatis potest intelligi, vel ex parte diligibilis, vel ex parte diligentis. Ex parte diligibilis perfecta est charitas, ut diligatur aliquid quantum diligibile est: Deus autem est infinite diligibilis, quia est infinite bonus. Unde ad hunc modum nulla creatura charitas potest esse perfecta; quia, cum quælibet virtus creata sit finita, nulla creatura potest Deum infinite diligere. Ex parte vero diligentis tunc est perfecta charitas, quando diligit tantum quantum potest; quod contingit tripliciter. Uno modo sic, quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum; & hæc est perfectio charitatis Patris, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est propter humanæ vitæ infirmitatem semper actu cogitare de Deo, & moveri dilectione ad ipsum. Alio modo, ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo & rebus divinis, prætermittis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit: & ista est perfectio charitatis, quæ est possibilis in via, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo, sic quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo; ita scilicet quod nihil cogitet, vel velit, quod divine dilectioni sit contrarium: & hæc perfectio est communis omnibus charitatem habentibus.

#### ARTICULUS II.

##### Utrum quolibet actu Charitatis, etiam remisso, augetur Charitas?

**S**uppono 1. Actus nostros non causare efficienter physice augmentum charitatis; quia eadem est ratio augmenti & productionis habitus; augmentum enim est veluti continuata rei productio; atque actus nostri præcedentes charitatem, quantumvis ex auxilio supernaturali elicit, non producant efficienter charitatem, ut diximus art. præced. ergo. Suppono 2. Actus nostros concurrere ad augmentum charitatis dispositivè, non solum moralitè, seu meritorie, sed etiam physice; quia, ut jam dicam, eadem est ratio augmenti & productionis habitus, actus autem nostri sunt dispositiones physice ad productionem gratiæ & charitatis. Utramque suppositionem probavimus in Tract. de Gratia Diss. 6. a. 3. Vide. Suppono 3. hominem justum posse sibi mereri augmentum charitatis, ut probavimus ex professo in eodem Tract. Diss. 8. art. 5. §. 4. Et hæc omnia docet Auctor in 1. d. 17. q. 2. a. 3. o. ubi sic ait: „Non eodem modo se habet actus informatus ad augmentum charitatis, & actus præcedens charitatem ad habendam charitatem: Actus enim, qui est ex charitate, ordinatur ad augmentum charitatis, & per modum dispositionis & per modum meriti; sed actus, præce-

dens charitatem ordinatur ad consequendam charitatem solum per modum dispositionis, & non per modum meriti, quia antè charitatem nullum potest esse meritum. Neuter autem actus ordinatur ad habendam charitatem, vel augendam per modum alicujus efficientiæ, sicut actus nostri ad habendos habitus acquisitos.“

Dico. *(Hic art. 6. ad 1. & 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3.)* Quilibet actus charitatis, etiam remissus, sive elicitus, sive imperatus, meretur de condigno augmentum charitatis. Est contra Durandum. Prob. 1. Ex Concilio Trid. Sess. 6. Can. 32. Ubi sic definit: „Si quis dixerit, justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque gloriæ augmentum; anathema sit;“ atque actus charitatis, etiam remissus, est bonum opus factum a justo per Dei gratiam & Christi meritum: ergo est meritorium augmenti gratiæ & gloriæ, consequenter charitatis, quæ est proprietas consequens ad gratiam; & cui correspondet & commensuratur gloria. Idem Concilium eadem Sess. cap. 10. docet, justum bonis operibus, quibus observat mandata, crescere in gratia; sed ad observationem mandatorum non requiritur actus charitati intensior habitu: ergo.

Prob. 2. Actus charitatis, etiam remissus, habet omnes condiciones requisitas ad meritum de condigno augmenti charitatis: ergo. Probat. Ant. Actus charitatis remissus est supernaturalis, ab homine grato & amico in obsequium Dei factus, & a Deo ordinatus ad præmium, siquidem actibus etiam minimis, ut calici aquæ dato in suo nomine promittat mercedem. Hæc autem sunt condiciones meriti de condigno, ut expeditur in Tract. de Gratia Diss. 8. art. 1. ergo. Prob. 3. ab absurdo. Ex opposita sententia sequeretur, quod actus remissior quandoque meretur augmentum charitatis, & non mereretur actus intensior. Pone enim, quod homo habens charitatem ut duo elicit actum charitatis ut tria, & alter habens charitatem ut decem elicit actum charitatis ut octo: primus mereretur augmentum charitatis, non alter. Hoc autem videtur absurdum, cum actus charitatis ut octo sit dignior præmio, quam actus charitatis ut tria: ergo.

Obj. 1. S. Th. in 1. d. 17. q. 2. a. 3. ad 2. dicit: „Quilibet actus charitatis, in quantum est informatus tali habitu, ordinatur ad præmium substantiale; non tamen ad augmentum præmi, sed nec ad augmentum charitatis.“ Nihil videtur expressius pro sententia Durandi. Quorundam Responsio est, S. Th. hanc sententiam retractasse in locis citatis pro Conclusionem, in quibus docet aperte contrarium. Sed non videtur necesse recurrere ad retractionem. Respondent ergo alii, S. Th. loqui de primo actu charitatis, qui est ultima dispositio ad primam infusionem gratiæ, qui, licet sit intensissimus, non ordinatur ad augmentum præmi, nec charitatis, sed solum ad præmium substantiale, cum sit primus, qui hominem præmio dignum reddat, nec supponat præmium, quod augeat. Hæc solutio facilis est, sed utrum sit ad mentem S. Thom. non ita constat. Unde, illa in sua probabilitate relicta, verius mentem S. Thom. attingere videntur, qui respondent ipsum nihil aliud velle, quam quod actus remissus charitatis non ordinetur ad augmentum statim conferendum, ut art. seq. explicabimus; tum quia ibid. in corp. dicit in terminis, quod actus, qui est ex Charitate, ordinatur ad augmentum charitatis & per modum dispositionis & per modum meriti: per modum dispositionis proxime, & ut statim conferatur, si sit intensus; per modum dispositionis remote, si sit remissus, ut explicat ibid. Tum quia in Resp. ad 2. quæ objicitur, non dicit simpliciter, quod actus remissus charitatis non ordinetur ad augmentum charitatis, sed quod non ordinetur ad augmentum charitatis, secundum quod charitas remanet primum principium merendi; sed solum secundum quod augmentum charitatis merendi; id est, non statim conferatur illud augmentum; quia charitas aucta physice est principium merendi etiam juxta gradum augmenti: meretur tamen augmentum charitatis secundum quod pertinet ad perfectionem præmi; præmium autem merito correspondet, & illud consequitur homo, quando ad illud fuerit sufficienter dispositus. Denique hæc esse mentem S. Thom., evidentiis constat ex his, quæ docet in 2. D. 17. q. 1. art. 5. ubi se refert ad præsentem locum, qui objicitur, & quem expendimus. Illi.

Illic ergo docet, quemlibet actum charitatis mereri augmentum charitatis, sed non esse semper sufficientem dispositionem, ut de facto conferatur istud augmentum, sed solum tunc, cum quis utitur predicta gratia secundum proportionem suarum virtutum, ut in nullo gratia desit per negligentiam, ut in 1. libr. dist. 17. dictum est: ergo in 1. libr. dist. 17. que obicitur, nihil aliud vult, quam quod actus charitatis remissus non mereatur augmentum charitatis statim conferendum.

Inst. 1. Juxta hanc solutionem non est differentia inter premium substantiale & augmentum charitatis, quia actus remissus non meretur etiam premium substantiale statim conferendum; atque secundum D. Thom. est differentia inter premium substantiale & augmentum charitatis: ergo. R. N. Maj. Ad Prob. D. Actus remissus non meretur premium substantiale statim conferendum per accidens, & ratione status, C. quia status vite non est status premii substantialis; per se & defectu dispositionis, N. Est enim sufficiens dispositio ad premium substantiale; at non est sufficiens dispositio ad augmentum charitatis, nisi accedat actus ferventior, ut dicemus art. seq.

Inst. 2. S. Th. 1. 2. q. 52. a. 3. o. dicit, quod, si intensio actus proportionaliter deficiat ab intensione habitus, talis actus non disponit ad augmentum habitus, sed magis ad diminutionem ipsius: ergo. R. 1. S. Th. illic agere de dispositione physica ad augmentum habitus, non morali, seu meritoria, de qua nos hic agimus. 2. Actus remissus disponit ad diminutionem habitus non per se, & quatenus est actus talis virtutis, quin potius sic eam firmat, & ad augmentum remotè disponit, sicut plures gutte disponunt ad cavationem lapidis, quam ultima gutta complet, ut docet hic S. Doct. in corp. art. & ad 2. sed per accidens disponit ad diminutionem, quatenus, qui remissè operatur, facit locum contrariis actibus, quibus habitus corrumpitur.

Obj. 2. Qui malè utitur acceptis, non meretur majora accipere; sed, qui habens habitum intensum remissè operatur, malè utitur habitu, cum actus non sit proportionalis intensioni habitus: ergo. R. N. Min. Cum enim nullum sit præceptum utendi habitu secundum totam suam latitudinem, qui illo remissè utitur, non malè utitur, sed facit actum bonum, quantum sufficit ad observationem præceptorum; etsi non meliori quo posset modo, bono illo utatur.

Obj. 3. Inter meritum de condigno & præmium debet esse æqualitas; atque inter actum remissum charitatis, & ejus incrementum non est æqualitas, ut patet: ergo. R. D. Min. Non est æqualitas in esse physico, C. in esse morali, N. Quamvis enim incrementum excedat entitatem actus remissi, non tamè excedit ejus valorem, sumptum ex gratia & charitate a quibus procedit: cum enim hunc valorem non excedat ipsa gloria æterna, a fortiori nec augmentum charitatis.

Obj. 4. Continuatio actus charitatis, si non sit cum majori intensione, non meretur augmentum charitatis: ergo nec multiplicatio actuum remissorum. Patet Conseq. Quia alias foret peioris conditionis, qui continuaret, quam qui interromperet. Prob. Ant. 1. Quia sequeretur, quod, qui continuaret actum charitatis per horam, mereretur augmentum infinitum, quia sunt infinitæ partes horæ. 2. Ex duobus hominibus, qui inciperent simul actum charitatis cum proposito efficaci continuandi per horam, si unus ante horam completam moriatur, non minus merebitur de præmio essentiali, quam alter: ergo continuatio nihil addit. Antè Responsum suppono, quod, qui continuat actum charitatis per horam, cæteris paribus, plus mereatur, quam qui intra eandem horam plures multiplicat actus charitatis; etenim actus continuatus meretur quantum omnes multiplicati, & aliquid plus propter durationem tempore interruptionis illorum. R. N. Ant. Ad 1. Probat. N. Ant. Ad ejus Prob. D. Sunt infinitæ partes proportionales & indeterminatæ horæ, C. Patres aliquotæ & determinatæ, N. Meritum autem determinatum correspondet partibus aliquotis & determinatis, non proportionalibus & indeterminatis, nisi prout contingat in aliquotis & determinatis. Ad 2. Probat. N. Conseq. Quia propositum efficaciter continuandi per horam pro facto reputatur, & idè tam est meritoria premii essentialis, quam continuatio exercita, que se habet ad intensiorem efficaciam, sicut actus exterior ad interiorem; actus autem exterior, ut dictum est in 1. 2. nihil addit interiori in ordine ad premium essentialè. Secus esset idè, si sine hujusmodi proposito usus continuaretur per horam, & alter morte præventus non continuaret.

Verum gravior difficultas est, quandoam conferatur istud gratia & charitatis augmentum, quod actus remissi merentur. Pro cuius enodatione sit.

ARTICULUS III.

Quandoam conferatur augmentum gratia & charitatis, actibus remissis debitum?

Quidam, attendentes ad solam rationem meriti, volunt istud augmentum conferri statim, ac elicitor actus meritorius, sive intensus est, sive remissus. Alii, attendentes non solum ad rationem meriti, sed etiam ad rationem dispositionis, dicunt illud conferri, quando homo per actum ferventiorum ad illud erit dispositus: & hi iterum dividuntur; quidam dicunt conferri, quando homo in hac vita prorumpit ex auxilio divino in actum ferventiorum habitu; quod iterum dupliciter intelligitur. 1. de augmento correspondente actibus remissis præter illud, quod correspondet, & debetur actui ferventiori. 2. de uno & eodem augmento, quod conferatur duplici titulo, scilicet titulo actuum remissorum & titulo præsentis actus ferventioris. Alii denique dicunt, quod istud augmentum non conferatur, nisi in altera vita, quibus subscripsimus.

Sed pro hujus sententiæ intelligentia, notandum est, gratiam & charitatem posse considerari dupliciter. 1. In esse physico, quatenus sunt qualitates. 2. In esse morali, prout dicunt jus ad gloriam ut mercedem. Et sic, jus ad gloriam fundari in gratia & charitate, physice sumptis: Resp. Id verum est de jure physico & intrinseco ad gloriam ut hereditatem, quale competit infantibus post Baptismum decedentibus; non verò de jure morali & extrinseco ad gloriam ut mercedem; illud enim fundatur in bonis operibus, que Deus acceptat ad gloriam ut coronam & mercedem. Sicut, si filius Regis, Regni hæres, insignibus & egregiis factis a Patre propositis coronam mereatur, duplex jus ad Regnum habet, unum physicum & intrinsecum in nativitate fundatum ad Regnum ut hereditatem; alterum morale & extrinsecum, fundatum in egregiis factis ad Regnum ut coronam & præmium.

Dico 1. Gratia & charitas statim moraliter augentur per actus remissos, seu quod idem est, homo per actus charitatis remissos acquirit jus novum ad augmentum gratia, charitatis, & gloriæ. Patet ex art. præc. ubi probavimus, hominem per actus remissos mereri de condigno augmentum gratia charitatis & gloriæ, meritum autem est jus ad præmium. Vide Auctorem Conclusionem seq.

Dico 2. (Hic art. 6. ad 1. & 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3.) Gratia & charitas non statim augentur in esse physico per actus remissos. Hanc & priorum Conclusionem docet in terminis S. Th. locus in margine cit. Primo loco: "Quilibet, inquit, actus charitatis meretur vitam æternam, non quidem statim exhibendam, sed suo tempore. Similiter etiam quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum: non tamè statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum. Secundo loco: Quilibet actu merito meretur homo augmentum gratia, sicut & gratia consumptionem, que est vita æterna. Sed, sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis fuerit dispositus ad gratia augmentum."

Prob. Augmentum gratia & charitatis non conferuntur nisi juxta dispositionem subjecti; atque actus remissi, puta ad duo, in habentem charitatem ut sex, non sunt dispositiones sufficientes ad augendam physice charitatem ultra sex, cum sint tali augmento improportionati, & imperfectiores ipso habitu: ergo. Prob. Maj. 1. Gratia & charitas non infunduntur adultis nisi juxta dispositiones subjecti, ut probavimus de Gratia Diss. 6. art. 3.; atque eadem est ratio augmenti & primæ productionis, ut jam diximus, cum augmenti sit veluti continuata rei productio: ergo. 2. De spiritualibus, proportione servata, loquendum est, sicut de naturalibus, nisi contrarium ex revelatione constet; id enim exigit suavis Dei Providentia, ut de supernaturalibus disponat, sicut de naturalibus, que nobis sunt nota; alias cuilibet fas erit fingere quodlibet circa supernaturalia; atque effectus naturales, sive in augmento, sive in prima productione non producuntur nisi juxta dispositiones subjecti: ergo. Hac ratione Auctor hic probat, augmentum charitatis fieri in nobis, sicut augmentum animalis, aut plantæ: Per aliquod tempus, inquit, natura operatur disponens ad augmentum, & nihil augens actus.

actu: Et postmodum producit in effectum id, ad quod disposuerat, augendo ipsum animal, vel plantam in actu. Ità etiam non quolibet actu charitatis charitas actu augetur; sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad augendam secundum charitatem; & habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorum dilectionis, quo conatur ad charitatis profectum, & tunc charitas augetur in actu.

Dico 3. Quando justus prorumpit in actum ferventiorum, augmentum charitatis, quod acquirit, correspondet isti soli actui ferventiori, non actibus prioribus remissis, ità quod non sit unum præmium duplici titulo collatum. Est contra Bannem, & Contensonum. Prob. 1. Juxta Trid. Sess. 6. c. 10. Justus per bona opera, quibus observat mandata, crescit in gratia, & charitate, adeoque per actus remissos, qui sufficient ad observationem mandatorum; atque, si sit idem augmentum correspondens actui intensiori, & actibus remissis, per istos non crescit in gratia, & charitate, cum properet illos non plus recipiat, quam si non præcessissent: ergo. Prob. 2. Inter meritum de condigno, & præmium debet servari æqualitas; atque, si augmentum gratia, & charitatis, quod respondet actui intensiori, idem conferatur alio titulo actibus remissis, non servatur æqualitas; hi enim actus remissi fraudantur suo præmio: sicut, si laborans per sex dies in vinea mereatur quotidie 20. asses, & in fine hebdomadæ dentur tantum illi semel 20. asses pluribus titulis, fraudantur sua mercede, nec servatur æqualitas inter meritum, & præmium: ergo.

Prob. 3. ab absurdis: ex opposita sententiâ sequitur 1. Quòd justus, qui per plures annos actus remissos mille, & amplius elucisset, si non elicitor actum ferventiorum, & sic moriatur, perpetuò crederet premio suis actibus remissis debito. 2. Sequitur, quod, qui innumeratos actus remissos ut octo per longam vitam elucisset, & moriendo elicitor actum intensum ut decem, non obtineat majus premium essentialè, quam flagitiosissimus, qui in fine vite elicitor actum charitatis ut decem. 3. Sequitur, quòd, qui habet charitatem tantum ut duo, & elicitor actum charitatis ut quatuor, melioris conditionis sit, quam qui habet charitatem ut decem, & elicitor actum ut octo; quia primo conferuntur præmium distinctum a præmio, quod cuilibet alteri actui correspondet, non secundo; hæc autem esse absurda, nemo non sentit: ergo.

Dico: Augmentum debitum actibus remissis non conferuntur in hac vita, sed differunt usque ad ingressum gloriæ, seu ad primum instans glorificationis. Ità Joannes a S. Th. Serra, de Marinis, Gonet, &c.

Prob. 1. Pars. Justus nunquam est sufficienter dispositus in hac vita ad augmentum gratia, & charitatis, debitum actibus remissis: ergo. Prob. Ant. Quòd justus elicitor actum ferventiorum, per illum disponit ad augmentum huic actui correspondens, & simul illud meretur atque recipit; atque istud augmentum adequatè actui ferventiori respondet, & pro solo illo datur, ac si nullus actus remissus præcessisset, ut probatum est: ergo nulla relinquitur dispositio ad augmentum, actibus remissis debitum. Prob. 1. pars. Justus in ingressu gloriæ, seu in primo instanti glorificationis ex clara Dei visione erumpit in actum ferventissimum tantæ intensiõis, quante fuit meritum actuum remissorum: & cum ille actus non sit meritorius, quia non est amplius vitorius; sed tantum dispositio physica, totum augmentum huic dispositioni proportionatum correspondebit solis actibus remissis elicitis in via: ergo. Confirm. Actus remissi, quibus homo meruit de condigno augmentum gratia & charitatis, non possunt fraudari suo præmio; atque illud recipere non possunt in hac vita defectu dispositionis; ut probatum est: ergo recipiunt in Patria.

Atque ità colligimus ex S. Th. qui q. 92. Suppl. cap. 3. querens, quomodo mansiones in Cælo distinguantur per diversos gradus, dicit: Distinguantur mansiones secundum charitatem Patriæ, que quando in aliquo erit perfectior, tantò reddet eam capaciterem divinæ charitatis, secundum cujus augmentum augetur perfectio divinæ visionis: ergo juxta D. Th. actus charitatis in Patria disponit hominem ad divinam visionem, ità ut, quamvis procedat a divina visione in genere causæ efficientis, visio tamè ab illis procedat in genere causæ dispositivæ; causæ enim sunt sibi invicem in diverso genere: Sic calor, inquit Auctor 3. p. q. 7. a. 13. ad 2. qui est dispositio, scilicet ultima, ad formam ignis, est effectus profluens a forma ignis. Et cum iste actus charitatis Patriæ, disponens ad gradum gratia, & gloriæ, non sit amplius meritorius, sed tantum dispositio physica. Theol. Billuart. Secunda Secunda.

sica, habemus actum physice disponentem ad augmentum actibus remissis debitum, quod in hac via, defectu dispositionis physice, non sunt consecuti.

Sed petes, unde scimus, quòd iste actus charitatis Patriæ adæquet, aut superet in intensione omnes actus remissos via? Id enim est divinare. R. Id nos scire; quia, cum actus remissi via mereantur augmentum gratia, & gloriæ, consequenter merentur, que sunt necessaria ad istud augmentum; qui enim dat formam, dat necessaria ad formam. Cum autem ad augmentum gratia, & gloriæ, si connaturali modo fiat, requiratur dispositio, & actus charitatis in Patria ad illud disponat, ut diximus ex Auctore; sequitur, quòd, qui meruit augmentum gratia, & gloriæ in tali gradu, habeat actum charitatis intensum in eodem gradu, qui sit ultima dispositio ad istud augmentum, consequenter tantum intensum, quantum actus remissi meruerunt in via de augmento gratia, & gloriæ. Si inde inferas, sublimem gloriam obtenturos illos, qui sæpe in hac vita actus charitatis remissos eluciverunt: Annuo; neque in hoc ullum est inconveniens.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 2. Conclusionem. Juxta Concil. Trid. Sess. 6. c. 10. & 16. & Can. 24. communemque sensum fidelium, justè per bona opera quotidie crescent in accepta justitia, suamque salutem promovent, ergo per quodlibet opus bonum augetur in eis physice gratia, & charitas. R. N. Cons. Verè enim ille quotidie crescit in accepta justitia, & salutem suam promovet, qui quotidie acquirit novum jus ad gratiam, & gloriam, licet actus eam non recipiat quotidie: sic operans laborans quotidie in vinea dicitur crescere in divitiis, & promovere suas facultates, quia quotidie acquirit jus novum ad mercedem, licet physice eam non accipiat nisi in fine hebdomadæ.

Obj. 2. contra eandem. Actus remissus est dispositio sufficiens tan ad infusionem gratia, & charitatis, quam ad ejus augmentum per Sacramenta. Sic attritio est dispositio sufficiens ad infusionem gratia, & charitatis in Sacramento Pœnitentiæ. Similiter actus charitatis ut duo est dispositio sufficiens ad augmentum gratia, & charitatis in communicante: ergo etiam extra Sacramenta. R. N. Cons. Disparitas est, quòd gratia, sive ejus augmentum conferatur per Sacramenta ex operato; & idè Deus supplet partem dispositionis in adultis, sicut supplet totam in infantibus, qui baptizantur. Extra Sacramenta verò tam gratia, quam ejus augmentum habentur ex parte operantis per actus contritionis, & charitatis, tamquam per dispositiones physicas; quas idè Deus non supplet.

Inst. Secundum Trid. Sess. 6. c. 7. Sacramenta causant gratiam, juxta propriam cujusque dispositionem: ergo nulla disparitas. R. D. Ant. Sacramenta causant gratiam juxta cujusque dispositionem, arithmetice, N. proportionaliter, C. non itaque gratia per Sacramentum collata sic commensuratur dispositioni penitentis, quasi dispositio debeat esse tanta, quanta est gratia; ità ut si gratia sit ad quatuor, etiam dispositio sit ad quatuor; commensuratur tamè proportionaliter; quia quò major est dispositio in suscipiente Sacramentum, eò majorem accipit gratiam: & hoc sensu intelligendum est Trid.

Obj. contra eandem. Actus remissus meretur de condigno augmentum statim conferendum, acque ac postea conferendum; non enim fit præstantius augmentum dilatatum, quam præsens; atque id, quod cadit sub merito de condigno, conferuntur infallibiliter: ergo. R. posse negari Majorem. Non enim mereretur de condigno augmentum conferendum nisi connaturaliter; non conferunt autem connaturaliter, nisi adit sufficiens dispositio. Vel D. Maj. Meretur augmentum statim conferendum per se, Transeat: Per accidens, N. Esto igitur valor adæquet premium statim conferendum, quia tamè non conferuntur absque sufficienti dispositione, per accidens defectu hujus dispositionis non meretur statim conferendum.

Inst. Qui habens charitatem ut duo, elicitor actum charitatis ut tria, statim accipit augmentum charitatis: ergo a fortiori, qui habens charitatem ut duo, elicitor actum ut sex. Patet Cons. Quia majoris dignitatis, & meriti est actus ad sex, quam ad tria: & alioquin sequeretur, quòd habens charitatem ut octo, foret peioris conditionis, quam qui habet charitatem ut duo: ergo. R. N. Conseq. Ad 1. probat. N. Cons. Quia collatio actualis augmenti

## ARTICULUS IV.

De diminutione, &amp; amissione Charitatis.

## §. I. Utrum Charitas possit diminui.

Non est questio de charitate actuali; certum est enim actus charitatis esse modò intensiores, modò remissiones: sed de ipso habitu charitatis.

Dico: (*Hic art. 10. o.*) Charitas habitualis non potest diminui directè, bene tamèn indirectè: est communis. Prob. 1. pars. (*Ibid.*) Diminutio directè charitatis potest attendi, vel ex parte objecti, vel ex parte subjecti; atqui neutro modo potest minui: ergo. Prob. Min. Non ex parte objecti, quia minima charitas diligit omnia, quæ sunt ex charitate diligenda. Non ex parte subjecti quasi tollatur aliquid de essentia habitus charitatis, id enim importat diminutio directè; quia id ferret, vel per cessationem ab actu, vel per actum positivum; non per cessationem ab actu, quia charitas habitualis non causatur ab humanis actibus, sicut habitus acquisiti, sed solum a Deo: ergo per cessationem ab actu, si ista cessatio non sit peccatum mortale, non minuitur, nec corrumpitur habitus charitatis. Non per actum positivum peccaminosum: quia peccatum istud, vel erit mortale, vel veniale; si mortale, non diminit, sed totalitè destruit charitatem; si veniale, non potest diminuerè charitatem, neque effectivè, seu physicè, neque demeritorè. Non effectivè, quia ad ipsam charitatem non attingit; charitas enim est circa finem ultimum, veniale autem est inordinatum quædam circa ea, quæ sunt ad finem: non autem diminiuitur amor finis ex hoc, quòd aliquis inordinacionem aliquam committit circa ea, quæ sunt ad finem. Sicut aliquando contingit, quòd aliqui infirmi multum amantes sanitatem, inordinatè tamèn se habent circa dietæ observantiam. Sicut etiam in speculativis falsæ opinionis circa ea, quæ deducuntur ex principis, non diminiunt certitudinem principiorum. Non demeritorè; ex hoc enim quòd aliquis delinquit in minori, non meretur pati detrimentum in majori; sic enim non esset proportio inter demeritum, & peccatum, magisque Deus se averteret ab homine, quàm homo a Deo: ergo.

Confirm. Si peccata venialia diminuerent charitatem, tandem possent illam destruere; cum enim charitatis gradus sint finiti, & omnes finitum per detractionem finiti absumatur, tot possent multiplicari venialia, ut tandem charitatem destruerent; quòd nemo admittit, & est contra Trid. sess. 6. cap. 11.

Ad hæc Confirmationem respondent. 1. Primos gradus esse amissibiles propter venialia, non ultimum; quia tolleret primos est diminuerè, tollere verò ultimum est destruere, quòd non fit nisi per peccatum mortale. 2. Gradus per peccata venialia perditur reparari possunt per bona opera, quæ justus facit. Sed contra primum. Ultimus gradus non est alterius rationis, nec majoris firmitatis, quàm priores: si ergo possit tolli per peccata venialia, quidni ultimus? Si dicas, ultimum veniale fieri mortale ratione destructionis charitatis; contra. Cum nullus possit scire, quando est in ultimo gradu charitatis, teneretur sub mortali vitare peccata venialia, quòd est absurdum. Contra secundum: Potest contingere, quòd homo diu maneat absquè exercitio bonorum operum, aut saltè pauca exerceat, & interim innumera peccata venialia committat.

Prob. 2. pars (*Ibid.*) Charitas habitualis dicitur indirectè minui 1. in quantum per peccata venialia minuitur ejus fervor, non intrinsecus tamèn, qui est ipsa intentio habitus; sed extrinsecus, id est, impeditur per peccatum veniale ejus applicatio ad ordinandum in finem ultimum materiam, circa quam peccatur venialitè. Quòd si homo retineat habitualitè illum affectum ordinatum ad peccatum veniale, dicitur minuerè fervorem charitatis habitualitè, quia impedit habitualitè dictam applicationem: sicut, qui habet brachium habitualitè ligatum, non potest movere, quandiù est ligatum, licet nihil de virtute intrinseca amittat. 2. In quantum per peccata venialia, cessationem ab actibus charitatis, & tepidam vivendi rationem, generantur prave inclinationes, quæ reddunt difficile charitatis exercitium, & meretur homo, ut Deus illi subtrahat auxilia specialia. 3. Deniquè, quia peccata venialia disponunt ad mortale, quo charitas destruitur.

Dico 1. Charitas potest augeri: ergo & diminui. R. N. Conseq. Quia potest assignari causa augmenti, non diminutionis.

Inst.

Inst. Potest assignari Deus, qui sicut confert charitatem se preparanti, minorem minis se preparanti, ita conservat charitatem minorem minis se preparanti. R. N. Ant. Ad Prob. N. Paritatem. Disparitas est, quòd ad infusionem gratiæ & justificationem requiritur motus liberi arbitrii, ut ostendimus in tract. de Gratia Dissert. 6. art. 3. Non requiritur autem ad conservationem, ut patet in dormiente, in quo sine motu liberi arbitrii conservatur gratia & charitas habitualis.

Dico 2. Amicitia humana minuitur per leves offensas: ergo & divina. R. N. Conseq. Disparitas est 1. Quòd amicitia humana sit quid acquisitum acibus nostris, quòd ideò acibus nostris contrariis minuitur; secus charitas, quæ est habitus infusus. 2. Disparitas est, quòd amicitia humana multum pendeat ab extrinseca communicatione; unde sola cessatione communicationis, quæ per leves offensas potest contingere, minuitur. At amicitia charitatis consistit in habitu infuso sempè remanente, nisi per peccatum mortale tollatur.

## §. II. Utrum Charitas possit amitti?

Dico: Charitas potest amitti. (*Ib. a. 11. o.*) Est contra Jovinianum: item contra Bezaros & Beguinos, damnatos in Concil. Viennensi Clem. *Ad nostram* de Heret. & contra Calvinum damnatum in Concilio Trid. sess. 6. cap. 12. 13. & 14. & Can. 23. his verbis: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque adeo eum, qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse justificatum... anathema sit.*

Prob. ex Scriptura. Ezech. 18. *Cum averteret se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis.* Gal. 5. *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratis excidistis Rom. 11. In fide stas, noli altum sapere, sed time. 1. Cor. 9. Castiga corpus meum, & in servitutem regilo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Conf. Adam, David, S. Petrus erant justi, & tandem peccando a justitia & Charitate exciderunt. Item omnes infantes, qui baptizantur, accipiunt per baptismum gratiam & charitatem: quia dicit, eos omnes nunquam a gratia & charitate peccando excidere? Suffragantur SS. Patres; Cyprianus 1. de unit. Ecclesie, & de lapsis, Tertull. de prescript. c. 3. Ambros. in libris de peccatis. Hieron. 1. 2. contra Jovin. Aug. Ep. 107. & lib. de corrept. & grat. c. 12. 13. 14. Prosper. ad Capitula Galorum cap. 2. & 7. & alibi.

Prob. ratione. (*Ibid.*) Ex sole formæ sunt inamissibiles, quæ replent totam capacitatem materiæ, seu subjecti, ut sunt v. gr. formæ colorum: quæ autem non replent totam capacitatem materiæ, seu subjecti, ut sunt formæ subalternarum, sunt amissibiles per introductionem alterius formæ; atqui, licet charitas Patriæ replat totam capacitatem voluntatis, quia versatur circa summum bonum clarè visum in se, & sempè est in actu, ideòque inamissibilis; charitas tamèn viz non replat totam capacitatem voluntatis, quia versatur circa summum bonum, obscurè tantum & imperfectè cogitatum: nec sempè est in actu. Undè, quando actu in Deum non fertur, potest aliquid occurrere, per quod charitas amittatur ex mutabilitate arbitrii: ergo.

Dico 1. 1. Joann. 3. dicitur: *Omni, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est:* ergo. Hoc fuit fundamentum Calvini. R. Sensum horum verborum esse compositum, scilicet justum, quandiù manet justus, seu servat semen Dei, quod est gratia & charitas, non posse peccare mortalitè, sed ut peccatum mortale stet cum gratia & charitate. Patet, quia scopus S. Joannis erat discernere inter filios Dei & filios diaboli, & assignare aliquod signum, quo possent discerni & cognosci: hoc autem assignat, quòd, qui facit peccatum mortale, sit filius diaboli; qui non facit, sit filius Dei. Vide Wiggers hic.

Dico 2. Cantic. 8. dicitur: *Aque multe non poterunt extinguere charitatem.* Apost. Rom. 8. *Certus sum, quòd neque mors, neque vita... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.* 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.* 1. Joann. *Si fuissent ex nobis, permisissent utique nobiscum.* Prov. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Undè Aug. Ep. ad Julianum Comitem dicit: *Charitas, quæ deficere potest, nunquam vera fuit:* & Hieron. Ep. 40. *Amicitia, quæ deficere potest, nunquam vera fuit:* ergo. R. ad 1. secundum communem interpretationem, per charitatem hic intelligit eam, quæ Christus Ecclesiam sponsam suam diligit, & Ecclesia Christum sponsum suum. *Theol. Billuart. Secunda Secundæ.*

Quòd si intelligatur de charitate particulari, sensus est, quòd, quandiù quis voluerit retinere charitatem, neque tribulationes, neque alia quæcumque possint illam eripere, licet ex libertate arbitrii possit velle illam amittere peccando. Ad 2. juxta plures idem est sensus, scilicet, quòd nulla creatura possit nos inviros & nolentes a Dei charitate separare, sed soli nos ipsi prava voluntate. Nam, ut docet Ang. 1. de moribus Ecclesie c. 11. & seq. *Ita his adstruitur potentia & efficacia divini erga nos affectus, ut tamen merus relinquatur propria malitia & negligentia.* Undè To Certus non significat omnimodam & absolutam certitudinem, sed solum ex parte Dei; ex nostra autem conditionatam, si Deo cooperari, nec ab eo separari velimus; & idem est ac spero, confido, persuasum habeo. Ità Tertullianus post Ambrosium, Hieron. & alios. Alii intelligunt, hæc verba de Prædestinatis, de quibus paulò antè dixerat: *Quis accusabit adversus electos Dei?* Dicunt itaque, Paulum non in propria persona, sed in persona doctorum asserere, quòd nihil possit prædestinatos separare ab ea dilectione, quæ Deus ipsis diligit; neque istos prædestinatos separare inalter a charitate, quæ Deum diligit. Quamvis enim contingat, Prædestinatos a charitate cadere, certum est tamèn, quòd tandem illis finalitè recuperabuntur. Ad 3. sensus non est, quòd charitas in particularibus nunquam excidat, sed quòd ea, quæ habetur finalitè in via, remaneat in Patria. Ad 4. sensus est: si fuissent ex nobis perfectis, solidis, & constantibus Christianis, ut interpretantur Cyprianus, Cyrillus, Hieron. apud Tertullianum; vel si fuissent ex Prædestinatis, ut interpretatur Ang. de corrept. & grat. c. 9. & de dono persever. c. 8. Ad 5. sensus est, quòd quandiù est amicus, diligit tam in adversis, quam in prosperis; eum quo stat, quòd ex mutabilitate voluntatis possit desinere esse amicus tam in prosperis, quam in adversis. Ad verba Ang. quæ citantur, ep. *Charitas* 3. de penitentia, observat doctissimus Sylvius, ea nunc reperiri in libro de salutaribus documentis ad quemdam Comitem, qui liber falsò adscribitur Augustino. Sed esto, ea verba esse Augustini; sensus est, juxta Actorem (*Ib. ad 2.*) quòd charitas, quæ ex ipsa ratione charitatis deficere potest, puta, si quis haberet in amore, quòd vellet amare ad tempus, & non amplius postea, non sit vera charitas, seu amicitia; sed, si charitas amittatur ex mutabilitate subjecti contra propositum charitatis, hoc non repugnat veritati charitatis, & amicitie. In eodem sensu intellige verba Hieronymi, nisi To Vera sumas pro constanti, & stabilis. Alioquin culpandum foret ipse Hieron. quòd veram amicitiam non coluisset cum Ruino, a quo semel, & iterum discessit.

Dico 3. Charitas est nobilior characterè; sed character non potest amitti: ergo nec charitas. R. N. Conseq. Disparitas est 1. Quòd charitas, etsi nobilior, habeat contrarium, a quo possit destrui, non character. 2. Quia charitas quantum ad sui conservationem pendet a libero arbitrio, character a solo Deo ipsam conservante.

Dico 4. (*Ibid. ad 2.*) Liberum arbitrium non inclinatur ad peccandum, nisi per aliquod peccatum mortuum; atqui charitas excludit omnia motiva peccandi: ergo. R. D. Min. Charitas excludit omnia motiva peccandi, quando est in actu, C. quia tunc actu diligit Deum super omnia: quando non est in actu, N. Tunc enim potest intervenire aliquod motivum peccandi, cui liberum est homini consentire; quia, quamvis charitas habitualis importet propositum non peccandi, non facit tamèn hoc propositum inviolabiliter observari propter mutabilitatem voluntatis.

## §. III. Utrum per unum peccatum mortale amittatur Charitas?

Dico: per unum peccatum mortale amittitur charitas (*Ib. a. 12. o.*) Est de fide decisa in Concilio Trid. sess. 6. cap. 13. his verbis: *Asserendum est, non modò infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quomodo non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.* Et Joann. 14. *Qui diligit Deum, mandata ejus servat;* qui autem peccat mortalitè, mandata Dei non servat: ergo non diligit Deum.

Prob. (*Ibid. in arg. s. c.*) Insuper argumentis Theologicis: 1. per peccatum mortale homo fit dignus morte æterna, Rom. 6. *Stipendia peccati mors;* & quilibet habens charitatem est dignus vita æterna; atqui nemo potest esse simul dignus morte æterna, & vita æterna: ergo. 2. (*Ibid. o.*) Unum contrarium pellitur per aliud contrarium superveniens; atqui quodlibet peccatum mortale contrariatur charitati secundum propriam rationem; charitas

S 2

ri-

ritas enim est unio amicitiae cum Deo, ut ultimum fine; peccatum mortale est aversio a Deo, ut ultimo fine: charitas facit hominem velle diligere Deum super omnia, & se omnibus ejus praeceptis subjicere; peccatum mortale praefert creaturam Deo, & violat ejus praecepta: ergo.

Nec obstat, (*Ib.*) quod actus non contrarietur directi habitui, quodque ideo unus actus non destruat habitum acquisitum contrarium. Disparitas est, quod habitus acquisitus tam in acquisitione, quam in conservatione, pendat a virtute subjecti: unde, sicut pluribus actibus acquiritur, uno actu non destruitur. At habitus infusus, ut est charitas, dependet ex Dei actione infundentis, qui sic se habet in infusione & conservatione charitatis, sicut sol in illuminatione aeris: & ideo, sicut lumen statim cessat in aere per hoc, quod aliquid obstatum ponitur influentiae charitatis a Deo in animam. Manifestum est autem, quod per quodlibet peccatum mortale, quod est destructio amicitiae cum Deo, aversio ab illo ut ultimo fine, & praevicatio mandatorum ejus, ponatur praedictae influentiae obstatum.

Dices 1. Fides & spes sunt virtutes infusae, nec tamen amittuntur per quodlibet peccatum mortale: ergo nec charitas. R. N. Consequenter. Disparitas est, quod quodlibet peccatum mortale non contrariatur fidei & spei, sicut charitati. Nam 1. Quodlibet peccatum mortale, ut diximus, est aversio a Deo, ut ultimo fine, charitas conversio & unio cum Deo ut ultimo fine; nec sic fides & spes. 2. Peccatum mortale destruit obstatum formale charitatis, quod est diligere Deum super

omnia; non sic destruit obstatum formale fidei & spei; potest enim peccator adhuc credere Deo, & sperare beatitudinem.

Inst. Negare exterius fidem corde retentam est actus contrarius fidei. Item praesumere, Deum in fine vitae fore propitium, nec abstinere a peccato, est actus contrarius spei; atqui hi actus non tollunt fidem & spem, ut suis locis diximus: ergo similiter de peccato mortali respectu charitatis. R. N. Consequenter. Disparitas est, quod hi actus non destruant obstatum formale fidei & spei, in primo enim remanet assensus internus rebus revelatis propter primam veritatem; in secundo manet expectatio beatitudinis ex auxilio Dei. At peccatum mortale destruit obstatum formale charitatis, quod est, ut jam dixi, summum bonum super omnia & praeter omnia diligendum.

Dices 2. S. Leo serm. 9. de Passione Domini alloquitur Petrum dicens: *Vidit in te Dominus non fidem factam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundavit fletus, ubi non defuit affectus; affectus charitatis laevi verba formidavit*: ergo. R. quod charitas amittitur dupliciter: (*Ib.* ad 2.) Uno modo directe per actualem contemptum, & hoc modo Petrus charitatem non amisit. Alio modo indirecte, quando committitur aliquid contrarium charitati propter aliquam passionem concupiscentiae, vel timoris: & hoc modo Petrus contra charitatem faciens, charitatem amisit, sed eam cito recuperavit.

Plura alia, hanc Conclusionem spectantia, & quoad probationes, & quoad argumenta, vide in Tract de Gratia Dissert. 7. art. 3. ubi probavimus, nequidem de potentia Dei absoluta peccatum & gratiam posse esse simul in eodem subjecto.

## DISSERTATIO III.

## DE CHARITATE ERGA PROXIMUM.

Div. Thom. Quaes. 25.

Diximus, Diss. 1. a. 3. Proximum esse obstatum secundarium charitatis. Quaesitio nunc est: qui veniant sub nomine Proximi? Suppono (*Hic q. 25. a. 3. o.*) creaturas irrationales non posse diligi ea charitate, sicut diligimus eum, ad quem habemus amicitiam, seu cui volumus bonum aeternae beatitudinis; quia hujus sunt incapaces. Possunt tamen diligi ex charitate, sicut diligimus bona, quae volumus amicis, quatenus volumus ea charitate ea conservari in gloriam Dei, & in utilitatem proximi. Quaesitio est itaque de creaturis rationalibus, Angelis scilicet & hominibus. De Angelis nullus loquitur, eos esse diligendos ex charitate propter Deum; de hominibus difficultas est de dilectione sui ipsius, proprii corporis, Peccatorum & Inimicorum. Unde sit

## ARTICULUS I.

Utrum homo debeat ex Charitate diligere seipsum, corpus suum, & peccatores?

Dico 1. (*Ib.* a. 4. o.) Homo debet seipsum diligere ex charitate. Prob. Homo debet diligere proximum sicut seipsum, Matth. 19.; atqui debet diligere proximum charitate: ergo & seipsum. Confirm. 1. Deus, ut infinite bonus, dignus est, ut ab omnibus amore amicitiae diligatur: ergo homo debet propter Deum hunc amorem sibi velle; atqui hoc est se amare amore charitatis: ergo. Confirm. 2. Amicitia charitatis fundatur in communicatione beatitudinis: ergo illi sunt charitate diligendi, quibus beatitudinem volumus; atqui homo debet sibi velle beatitudinem: ergo.

Dices: *Charitas minus quam inter duos haberi non potest*, inquit Greg. Hom. 17. in Evang. Et patet; quia charitas est amicitia, quae importat redamationem & aequalitatem: ergo homo non potest se amare amore charitatis. R. D. Consequenter. (*Ib.*) ergo homo non potest se amare ex charitate, considerata sub communi ratione amicitiae, C. Quia sic, prout probat argumentum, non est nisi inter duos, inter quos importat unionem. Attamen amor, quo quis se diligit, est fortior amor, quo diligit alterum, quia non importat tantum unionem, sed unitatem. Unde sicut unitas est principium unionis, ita amor, quo quis se diligit, est forma & radix amicitiae. Homo non potest se amare ex charitate secundum propriam rationem ipsius charitatis, N. Ut sic enim est amicitia hominis ad Deum principaliter, & ex con-

sequenti ad ea, quae sunt Dei, inter quae etiam est ipse homo, qui habet charitatem.

Dices: Amare seipsum est quid vituperabile 1. Timoth. 3. ergo. R. D. Ant. (*Ib.* ad 3.) Amare seipsum ex cupiditate, qua homines se amant secundum naturam sensibilem & corruptam, cui indulgetur, est vituperabile, C. Amare seipsum ex charitate secundum naturam rationalem, volendo sibi Deum ut ultimum finem, N.

Dico 2. (*Ib.* a. 5. o. & ad 2.) Homo debet ex charitate diligere corpus suum, non solum ut id quod tanquam bonum vult amico; sed etiam ut id, cui vult bonum. Ratio primae partis est; quia corpus nostrum potest esse instrumentum bonorum operum, quibus Deus honoretur. Ratio secundae partis est; quia, licet corpus nostrum non sit capax aeternae beatitudinis Deum cognoscendo & amando, est tamen capax beatitudinis participatae, quae ex anima gloriosa in ipsum redundat.

Dices: Sancti videntur odisse corpus suum, ipsum affligendo; & Paulus Rom. 8. cupit separari a suo corpore: ergo. R. Sanctos & Apostolos non odisse suum corpus secundum naturam, quae bona est; sed secundum corruptionem ejus, quae aggravat animam; & infectionem concupiscentiae, quae inclinat ad peccatum. Unde laudandi sunt, qui prudenter & moderatè, vigiliis, jeuniis, laboribus, &c. affligunt corpus; ut subjiciatur spiritui, sicut rectus ordo postulat; & ut sit ad bona opera paratum. Sic enim est odisse vitam suam in hoc mundo, & in vitam aeternam illam custodire.

Dico 3. (*Ib.* a. 6. o.) Peccatores sunt ex charitate diligendi secundum naturam, non secundum culpam. Ratio primae partis est; tum quia peccatores secundum naturam sunt capaces beatitudinis, quam ipsis propter Deum debemus velle; tum quia peccator non desinit esse proximus, juxta illud Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus*: Si frater ergo proximus. Denique jubemur diligere inimicos, ut mox probabitur: ergo & peccatores; sunt enim inimici peccatores. Ratio secundae partis est aperta; culpa enim contrariatur Deo, & est beatitudinis impedimentum. Unde dicebat David Ps. 118. *Iniquos odium habui*.

Dices: Viri sancti apprecantur mala peccatoribus, ut Ps. 9. *Convertantur peccatores in infernum*. Ps. 103. *Deficiant peccatores a terra & iniqui, ita ut non sint*. Isa. 6. *Excacca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*: ergo. R. Im-

precationes hujusmodi (*Ib.* ad 3.) quae in Scripturis repetuntur, tripliciter posse intelligi. 1. Per modum praenuntiationis, non per modum optionis: sic intelligitur illud: *Convertantur peccatores in infernum*, id est, convertentur: & istud: *Excacca cor populi hujus*, id est, Excaccabis. Per modum optionis, ut tamen desiderium optionis non referatur ad penam hominum, sed ad justitiam punientis, ut sit quasi indignatio contra culpam, & approbatio divinae justitiae, secundum illud Ps. 57. *Lerabitur justus, cum viderit vindictam*; letatur autem non in malo, sed in justitia Dei: sicut ipse Deus puniens non letatur in punitione impiorum, ut dicitur Sap. 1. sed in sua justitia, quia *justus Dominus, & justitiam dilexit*. 3. modo, ut desiderium referatur ad remotionem, & destructionem culpae, non ad ipsam penam, aut malum hominis, ut scilicet peccata destruantur, & peccatores salvi fiant; quo sensu intelligitur istud Ps. 103. *Deficiant peccatores a terra, & iniqui, ita ut non sint*; id est, secundum quod sunt peccatores, & iniqui, seu secundum culpam.

Hinc colliges, non licere optare damnationem aeternam cuique adhuc in hoc saeculo viventi; tum quia non potest esse medium ad majus bonum habendum, vel ad majus malum vitandum; tum quia est contraria fini, propter quem debemus charitate diligere proximum, tum denique, quia de nullo est desperandum, quando vivit. Neque etiam licet alicui desiderare, ut peccet, quia peccare est simpliciter malum: licet tamen juxta plures desiderare, ut Deus permittat aliquos peccare, ut inde humiliores, & cautores confingat. Confer, quae dixi de maledictione in Tract. de Justitia Dissert. 15. a. 4. §. 3.

## ARTICULUS II.

Utrum inimici sint ex Charitate diligendi?

Dico: (*Ib.* a. 8. o.) Inimici sunt ex charitate diligendi, non qua inimici, sic enim esset diligere peccatum, sed qua homines; dilectione utique communi, non speciali, per se loquendo. Prob. 1. (*Ib.* in a. 5. c.) ex illo Matth. 15. *Diligite inimicos vestros*; & ut probet Christus, esse praecceptum omnibus, addit: *Ut sicut filii Patris vestri, qui in Caelis est*. Est autem omnibus necessarium ad salutem, esse filii Patris caelestis, 2. In Oratione Dominica Matth. 6. petitur, ut Deus dimittat nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: ergo praecceptum est dimittere inimicis, alias non dimittitur nobis. Item ibid. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*.

3. Praecceptum est, ut diligamus proximum; atqui inimicus est proximus; ratio enim proximi consistit in eo, quod quis sit factus ad imaginem Dei, & possit esse particeps aeternae beatitudinis: ergo.

Dixi: *Dilectione utique communi, non speciali, per se loquendo*. (*Ib.* a.) Quia dilectio inimici potest considerari dupliciter. 1. In generali, sic ut quis diligens Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat; & sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis. 2. In speciali, ut scilicet quis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum; & istud non est de necessitate charitatis absolute, & per se loquendo, sed de ejus perfectione; quia sic moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter non est de necessitate charitatis, cum hoc sit impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundum preparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc quod in singulari inimicos diligeret, & specialia beneficia praestaret, si necessitas occurreret.

Dices 1. Aug. in Ench. c. 73. dicit, *perfectorum esse diligere inimicos, neque hoc a tanta multitudine impleri, quanta exauditur in Oratione Dominica, cum dicitur: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: ergo.

R. Aug. loquitur (*Ibid.* o.) de speciali dilectione, qua quis actu afficitur inimico adhuc inimici agenti, & ipsi bene vult; quod non est de necessitate, sed de perfectione charitatis, ut mox explicatum est. Et hanc mentem Aug. patet ex his verbis ibid. *Et qui tibi malum vult, & si potest, facit; tu bonum semper velis, faciasque cum possis*.

Inst. Aug. 1. 1. de Serm. Domini in Monte c. 21. ait *Ascendit aliquem gradum, qui proximum diligit, quamvis adhuc odierit inimicum*. Et Hieron. 1. 1. contra Pelagianos c. 9. illos redarguit, quod dicerent inimicos esse

se diligendos sicut proximos: ergo.

R. Augustinum loqui de gradu justitiae, non Christianae, sed Pharisaeae: unde addit: iste gradus tam parvus est, ut cum Pharisaeis etiam possit esse communis. Ad Hieron. reprehendit Pelagianos, non quod dicerent inimicos simpliciter esse diligendos; sed quod dicerent, esse simpliciter diligendos sicut consanguineos, & familiares amicos.

Dices 2. Charitas non tollit naturam; sed unaquaeque res etiam irrationalis naturaliter odit suum contrarium, sicut ovis lupum, aqua ignem; ergo charitas non facit, quod diligamus inimicum.

R. D. Min. (*Ibid.* ad 2.) Unaquaeque res odit suum contrarium in quantum est contrarium; C. In quantum non est contrarium, N. Inimici autem sunt nobis contrarii, in quantum sunt inimici: unde hoc debemus in eis odio habere; debet enim nobis displicere, quod nobis sunt inimici. Non autem sunt nobis contrarii, in quantum homines sunt, & beatitudinis capaces; & secundum hoc debemus eos diligere.

Dices 3. Charitas erat in veteri lege; atqui tunc non erat necessarium diligere inimicos; dicit enim Christus Matth. 5. *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: ergo.

R. N. Min. Etenim Levit. 19. praecipitur: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Non queras ultionem, nec memoreris injuriam civium tuorum*. Exod. 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, radice eum*. Prov. 25. *Si curaverit inimicus tuus, cura illum*. Et Christus Matth. 22. interrogatus, *Quodnam esset mandatum magnum in lege*, respondit esse praecceptum dilectionis Dei, tum subiungit: *Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum*, &c. sub proximo autem comprehenditur inimicus. Insuper praecceptum dilectionis inimicorum est legis naturae, deductum ex illo principio communi legis naturae: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; nullus enim vult odio haberi, & sibi reddi malum pro malo. Unde ipse Plato 1. 1. de Republ. & 1. 28. Dialog. solo lumine naturali illud agnovit.

Ad verba Christi, non est sensus (*In 3. d. 30. q. 1. art. 1. ad 2.*) quod in lege dictum fuerat: *Odio habebis inimicum*; sed quod dictum fuerat a Scribis, & Pharisaeis, perverse legem interpretantibus. Cum enim Levit. 19. diceretur: *Diliges amicum*, a contrario inferebant, inimicum esse odio habendum; sed male; quia argumentum a contrario non valet, quando praedicatum eadem ratione convenit subjecto Antecedentis, & Consequentis, sicut hic contingit: nam *To Esse diligendum*, convenit amico, & inimico sub eadem ratione, scilicet quia est proximus. Unde ipse Christus Matth. 5. & Luc. 7. reddit cum 70. Interpretibus *To Amicum* Levit. 19. per *To Proximum*. Adde verus Testamentum, quod asserendo in aliis locis a nobis citatis diligendos esse inimicos, excludat hanc Pharisaeorum interpretationem.

Inst. Christus Matth. 5. praecipit dilectionem inimicorum non tanquam quid necessarium absolute, sed ut sinus perfecti; concludit enim caput dicendo: *Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester caelestis perfectus est*: ergo. R. Christum loqui de perfectione necessaria cuilibet Christiano, dixerat enim prius: *ut sicut Filii Patris vestri, qui in Caelis est*. Est autem necessarium cuilibet Christiano, quod sit filius Patris caelestis.

## ARTICULUS III.

Utrum inimicis sint exhibenda signa, & opera charitatis.

Dico: (*Hic q. 25. a. 9. & q. 83. a. 8.*) Per se loquendo signa, & opera communia charitatis sunt exhibenda inimicis, non specialia. Prob. 1. (*Ibid.*) Dilectio interior ad inimicum in communi est de necessitate charitatis absolute. In speciali autem non est de necessitate charitatis absolute, sed secundum preparationem animi tantum, ut dictum est art. praeced. ergo idem dicendum est de operibus, & signis dilectionis exhibendis. 2. Ex virtute charitatis obligantur nulli esse scandalo; atqui denegando inimico signa communia dilectionis sumus illi, & aliis scandalo, secus denegando signa specialia: ergo. Prob. Min. Denegando inimico signa communia dilectionis, quae omnibus communiter exhibentur, inimicus jure praesumit ita fieri ex odio in ipsum, & livore vindictae, indeque movetur, ut in inimicitia perseveret, atque magis obdurmetur, commune enim est inter homines odisse odientes se; secus vero, non exhibendo ipsi specialia signa, quae aliis etiam non inimicis non exhibentur.

Pro hujus itaque Conclusionis explicatione, praesertim in